



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

492. An, & qualiter per præscriptionem detur exemptio à solvendis decimis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

revocationem, similemve causam ipsis incognitam; adeoque revera populus re ipsa legem decimarum abrogare non potest per consuetudinem, pontifice ignovente, sine titulo, nisi decimas non solverit immemoriali tempore, quod ipsum tribuit præsumptionem juris. Pirh. n. 132. ex Suar. Quæ tamen consuetudine immemoriali non obstante, manet Pontifici integra potestas (utpote, quæ cum sit divina, & necessaria ad bonam gubernationem Ecclesiæ, per nullam consuetudinem tolli aut minui potest. Suar. cit. c. 12. num. 20. Pirh. cit. num. 132.) præcipiendi, ut decimæ iterum integre solvantur. Idque non tantum ob egentiam ministrorum Ecclesiæ, sed & ob alias causas concernentes bonum Ecclesiæ AA. iidem.

*Questio 492. An, & qualiter per præscriptionem (intellige, proprie talem, hoc est, quæ sit à particularibus personis, vel respectu particularium prædiorum; cujusmodi præscriptione lex decimarum non simpliciter abrogatur; quia lex est commune præceptum universim obligans, sed interdum aliqua personæ particulares liberentur à dicta legis obligatione) detur exemptio à solvendis decimis?*

1. Respondeo ad primum: posse quoque aliquos eximi præscriptione (ad quam requiritur possessio saltem civilis, titulus probabilis, verus seu præsumptus, bona fides continuata toto tempore ad præscribendum requisito, & hoc ipsum tempus, quod pro varietate rerum, quæ præscribuntur, varium est, ut compendio videre est apud Castrop. l. cit. p. 5. num. 1. ubi & in quo differat à consuetudine præscriptio) à solvendis decimis. Castrop. ibid. Laym. n. 11. cum communi. Ratio ferè est eadem, quæ de consuetudine.

2. Respondeo ad secundum: ad hanc præscriptionem requiruntur anni 40. cum titulo, vel tempus immemoriale sine titulo, juxta c. 1. de præscript. cum jus commune resistat præscribenti decimas. Pirh. n. 129. citans Molin. ... d. 25. n. 5. Suar. l. 1. c. 13. n. 1. Less. loc. cit. n. 26. Castrop. loc. cit. n. 2. intercedente enim tempore immemoriali credendum non est, antecessores justum aliquod privilegium secutos non fuisse, vel pacto aliquo hanc obligationem non redemisse; dum è contra deficiente hoc tempore immemoriali semper præsumatur mala fides, quamdiu titulus non ostenditur, cum jus semper resistat præscriptioni. Castrop. loc. cit. Jam verò præscriptio multò magis vim habet circa decimarum circumstantias, ut dictum de consuetudine, v. g. ut solvantur ex his rebus, & non ex aliis, hæc mensurâ hoc tempore, huic Ecclesiæ, & non illi, &c. Castrop. loc. cit.

3. Denique præscriptio non solvendi decimas se non extendit ad prædia acquirenda; cum præscriptio requirat possessionem; unde de solis illis prædiis potest eximere, de quibus est legitime præscripta possessio, secus ac privilegium, quòd cum non requirat possessionem, ad omnia etiam in futurum possidenda potest extendere,

Castrop. p. 12. in fine.

\* \* \* \*

\* \*

*Questio 493. An transactione, commutatione, similive pacto eximi quis possit à decimis?*

Respondet affirmativè Pirh. num. 133. Castrop. loc. cit. num. 4. Fagund. ad præcept. 5. l. 3. c. 2. num. 2. &c. modò tamen similia pacta muniuntur sufficiente auctoritate, hoc est, pontificiâ, dum inter Clericos & laicos facienda compositio de futuris decimis in perpetuum, vel ad longum tempus; Episcopali tamen auctoritate sufficiente, dum inter unam & aliam Ecclesiam facienda compositio, Argumento c. ex multiplici, h. t. AA. iidem. Et licet auctoritate Episcopi fieri nequeat, ut Clericus paciscatur cum laico, sic, ut hic ab omni decimarum debito solvatur, ita ut hæc pactio sit perpetua, transeatque ad successores; fieri tamen hæc auctoritate potest pactio, ut decimæ solvantur, ex talibus rebus, in hac mensura, in hoc loco, non integrè; concessa siquidem est ob utilitatem Ecclesiæ hæc potestas Episcopis, hujusmodi pacta, dum hæc ad circumstantias decimarum pertinerè videntur, quin & in tantum relaxandi jus commune solvendi integrè decimas, si partes inter se consentiant. Castrop. n. 5. citans Hostiens. in c. statui-mus. 2. de transact. & Suar. ubi ante. n. 15. Porro dum compositio fit, non super jure decimandi, sed super fructibus, quos vel Rector Ecclesiæ percipere debet, validè & licitè fit, etiam pro tota vita Rectoris absque consensu superioris; cum tunc non alienentur bona Ecclesiæ, sed propria. c. veniens, de transact. Abb. ibid. Fagund. l. cit. num. 18. Castrop. cit. num. 4. Unde jam consequens est, posse sic fieri à quolibet particulari compositionem de decimis jam debitis pro aliis fructibus; quemadmodum eà tali remitti possunt ex rationabili causa. Bonac. d. ut. de præc. Eccl. q. unica. p. 5. num. 3. apud Castrop. l. cit. Idem vult Pirh. cit. num. 133. ex Suar. dum ait: decimæ ab Ecclesiasticis omninò remitti possunt illis, qui ad illas solvendas tenentur, non solum ratione paupertatis; sed etiam divitiibus concordia vel scandali vitandi gratiâ, vel ob aliam justam causam.

*Questio 494. Quæ jure communi pœna statuta non solventibus, aut solvi impediens, aut aliquo modo usurpantibus decimas?*

1. Respondeo primò, excommunicari possunt ac debent, qui decimas integras non solvunt iis, quibus debent, c. statui-mus. 16. q. 1. c. pervenit. c. ad hæc. c. ex parte h. t. Barbof. cit. c. 28. §. 4. n. 15. Castrop. cit. p. 15. n. 1. Pirh. num. 165. cum communi. Hanc pœnam confirmat Trid. sess. 25. c. 12. his verbis: qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur. Intelligendum autem hoc est, monitione præviâ. Pirh. l. cit. Barb. l. cit. citans Azor. p. 1. l. 7. c. 24. q. 17. Suar. Riccium, &c.

2. Secundò addit Trid. negationem absolutionis hæc verbis: neque ab hoc crimine nisi plenâ restitutione secutâ solvantur. Quod tamen limitandum, nisi ob impotentiam commodè restituere nequeant decimas. Pirh. loc. cit. citans Sanch. l. 2. mor. c. 20. n. 19. Barb. n. 16. citans Nav. in man. c. 17. num. 59. Castrop. l. cit. citans Bonac. Molin. &c. Et addit sufficere ad obtinendam absolutionem, si promittat & juret, se soluturum, dum potest; vel nisi remissa sint decimæ ab eo, cui debentur. Barbof. Castrop.